

Aquensium exiret, & inde D. Gullielmus ad honorem D. Episcopi, & communis Alexandriae mihi Gullielmo pub. Not. publicum facere instrumentum præcepit. Actum in illo loco. Ego Gullielmus Sacri Palatii Notarius interfui, & hanc chartam subscripsi.

Venditio plurium locorum a Marchione Ottone de Carreto Astensi Reipublicæ.

134

MCCIX.

In nomine Domini amen. Anno ejus MCCIX.,¹⁰ indictione XII., die lunæ VI. intrans julii D. Otto de Carreto marchio Saonæ cum consensu, & voluntate D. Hugonis filii sui fecit venditionem in manu D. Henrici Zazii potestatis Astensis ad partem communis Astensis nomine communis de Aste jure proprietario nominatim de omni eo, quod ipse D. Otto habet, tenet, & possidet per se, vel per alium, vel habebit ulterius, & quondam, seu modo visus est habere, tenere, & possidere per se, vel per alium juste, vel injuste in Casto, in Curtemiglia, in Bosea, in Turre de Burmia, in Bergolio, in Turre ut ex his quidquid voluerint faciant sine omni contradictione prædicti Ottonis, & heredum suorum. Insuper dictus Bonifacius Otto pro se, & pro suis heredibus promisit prælibato D. Henrico Zazio potestati Astensi nomine communis de Aste stipulanti sibi, suisque heredibus successoribus, aut cui dederint, vel vendiderint omnia supradicta, sicut supra leguntur in integrum, sicut pro tempore meliorata fuerint, aut noluerint²⁰ sub extimatione pretii in consimili loco ab omni homine sub pœna dupli defendere, & expedire, & eandem venditionem firmam tenere, nec remove, nec contravenire aliquo tempore ullo modo, nec occasione aliqua, neque ratione ulla, quæ omnia prædicta sint vendita, seu tradita minus dimidio justii pretii, neque aliquo alio modo jure, nec aliqua alia consuetudine, nec aliquo alio modo, & ibidem ipse D. Otto constituit se possidere omnia prædicta nomine communis Astensis. Præterea D. Ugo ejusdem D. Ottonis filius promisit D. Henrico Zazio potestati Astensis ad partem communis Astensis stipulanti sibi, suisque heredibus, successoribus, aut cui dederint, vel vendiderint omnia supradicta sicut pro tempore fuerint meliorata, aut voluerint sub extimatione in consimili loco ab omni homine defendere, & expedire, & eandem venditionem firmam tenere, nec remove, nec contravenire in aliquo tempore ullo modo, nec occasione aliqua, nec ea ratione quod omnia prædicta sint³⁰ vendita, vel tradita minus dimidiam justii pretii, nec aliquo jure, nec aliqua alia consuetudine, nec aliquo alio modo, & si quod possidet ex prædictis constituit se nomine communis de Ast possidere. Actum urbe Ast in Ecclesia sancti Joannis de Domate coram credentia ibi per campanam congregata. Interfuerunt testes D. Rolandus medicus, Judex potestatis Hastensis, Guidonus Zazius ejus miles, Raimundus de platea, Petrus Laurentius, Gullielmus Silvaticus, Drochus Palius, Albertus de Canelio, Sibiliator de Lanerio, Bonifacius de Arguello, Bonifacius de Gorino, & multi alii, qui ad credentiam convenerant. Eodem die prætitulatus

D. Otto juravit super Dei Evangelia hanc venditionem ut supra legitur integram, firmam tenere, nec remove, nec contravenire in aliquo tempore occasione aliqua, nec ea ratione, quod prædicta vendita, vel tradita sint minus dimidiam justii pretii neque aliquo alio jure, neque ulla consuetudine, nec aliquo alio modo per se, nec per suos heredes, nec per aliam suppositam personam juravit etiam abrenuntium fidelitatibus Vassallorum militum, & rusticorum, & eos ex illis fidelitatibus absolvere, & fidelitates potestati, & communi de Aste fieri facere bona fide, & sine fraude; & quoties posuerint, vel mutaverint Castellatum in aliquo prædictorum locorum quod faciet illum jurare fidelitatem communi de Aste; & postquam renuntiaverit fidelitatibus Vassallorum militum, & rusticorum, & ex eis eos absolverit, quod præterea non recipiet fidelitatem ab eis, nisi salva fidelitate communis, & hominum de Ast. Similiter D. Hugo ejus filius juravit super Dei Evangelia eandem venditionem ut supra legitur in integrum firmam tenere, nec remove, & non contravenire in aliquo tempore occasione aliqua, nec ea ratione quod prædicta vendita sint, vel minus dimidiam justii pretii, neque aliquo alio jure, nec ulla consuetudine, nec aliquo alio modo per se, nec per suos heredes, nec per aliam suppositam personam. Actum urbe Ast in publica concione factam mercato de Domate. Interfuerunt testes D. Rolandus medicus, Guidonus Zazius, Bayamundus de Platea, Petrus Laurentius, Gullielmus Silvaticus, Drochus Palius, Albertus de Canelio, Sibiliator de Lanerio, Bonifacius de Arguello, Bonifacius de Gurino, & multi alii, qui aderant in illa concione; eodem die, & in eodem loco scilicet in illa concione D. Henricus Zazius potestas Astensis nomine, & vice communis de Ast investivit D. Ottonem de Carreto marchionem Sagone, & D. Ugonem ejus filium in rectum, & gentile feudum in filios, & in filias nominatim de toto eo, quod dictus D. Otto vendiderat communi de Ast in Casta, in Curtemiglia, in Bosea, in Turre Burmiæ, in Bergolio, in Turre de Auzono, in Cagna, in Ursariola, in Castelleto, in Perleto, in Ulmo, in Rocha Vevrana, in Denece, in Monte Baudono, in Ponte, & in Gurino, & in Vecimo, & in Pezolio, in Salegio, in Loefio, & in tota illa terra, quam dictus D. Otto vendiderat communi de Aste ex hac parte montis Circini, & a monte Circino infra ipsi Henrico potestate Astensis nomine communis de Aste retinendo in se pacem, & guerram exercitus, & itinera, succursus, & cavalcas totius prædictæ terræ, & omnium prædictorum locorum, & castrorum, & omnium hominum in eis habitantium, & fidelitates eorum, & servitium personæ D. Ottonis, & D. Hugonis ejus filii. Qua investitura facta in concione Astensi ibidem D. Otto, & D. Hugo ejus filius fecerunt, & super Dei Evangelia jurarunt fidelitatem de tota prædicta terra potestati, & hominibus de Ast pro communi contra omnes homines talem qualem gentilis Vassallus facit suo Domino de gentili feudo, in qua fidelitate specialiter jurarunt, quod non vetabunt prædictam terram, nec prædicta loca, vel Castella